

quoquomodo et cum quibus illam dictus frater Becz habuit, tenuit et possedit sive habere, tenere et possidere quomodolibet debuit sive preteriti dicte domus fratres eiusdem preceptorie de Wildungen legitimi preceptores et possessores habuerunt, tenuerunt et possiderunt sive habere, tenere et possidere quomodolibet debuerunt, habendam, tenendam, regendam, gubernandam, augmentandam et meliorandam in spiritualibus et temporalibus tam in capite quam in membris sub annua responsione, prout pro rata dicte preceptorie pertinebit, de summa florenorum quinquaginta unius millium<sup>96</sup> nuper in nostro hic Rhodi ultime celebrato generali capitulo usque ad aliud proximum futurum generale capitulum celebrandum imposita et aliis oneribus nuper et preter ipsam responsionem impositis vel in futurum, si contigerit, quomodolibet imponendis rationabiliter secundum communem cursum aliarum baiulliarum prioratus prefati in capitulo provinciali prioratus ipsius per vos annis singulis infallibiliter exsolvendis – alias secundum seriem et continenciam statuti super deficientibus in responsionum soluzione suarum editi in generali capitulo apud Auinionem de mense Marcii anno sexagesimo sexto celebrato de premissa baiullia per religiosos in Christo nobis precarissimos fratres domus eiusdem quovis titulo dicti prioratus regimini nunc vel imposterum presidentes et receptores responsionum prioratus ipsius cum consilio quatuor fratrum preceptorum suarum baiulliarum responsiones benesolvencium puta fratri alicui nostre dicte domus prefati sufficienti, utili et ydoneo ad regimen baiullie antedicte, et qui illius responsiones et alia onera imposita et imponenda bene solvat et supportet, expresse precipimus provideri gracia huiusmodi de dicta baiullia vobis facta in aliquo non obstante – invicem deliberato consilio de nostra certa sciencia et speciali gracia ad annos decem continuos et completos pro vestro acressamento vobis auctoritate presencium conferimus, concedimus et donamus benefaciendo in eadem, vosque preceptorem et commendatorem in dicta constituimus baiullia hac serie ac eciam ordinamus, committentes vobis fiducialiter circa curam, regimen et administracionem accomodam dicte baiullie bonorumque ac iurium eius defensionem et recuperacionem tam in agendo quam defendendo hac serie vices nostras. Quocirca universis et singulis fratribus, sororibus et donatis sub virtute sancte obediencie ac hominibus, vassallis et quibusvis aliis nobis subditis in dicta baiullia constitutis, presentibus et futuris, sub sacramento fidelitatis et homagii, quo nobis et dicte domui sunt astricti, precipimus et mandamus,

---

96) Dazu SARNOWSKY (wie Anm. 10) S. 536f.